



LEKTO

IM LABOR DER MODERNE: OVID, METAMORPHOSEN II

• TEXTE ZUR VORLESUNG •
23. JUNI 2022

PROF. DR. JÜRGEN PAUL SCHWINDT
UNIVERSITÄT HEIDELBERG



ARACHNE

I. *Ov. met.* 6, 1-145

(P. Ovidi Nasonis *Metamorphoses* recognovit brevisque adnotatione critica instruxit R.J. TARRANT, Oxford 2004)

PRAEBUERAT dictis Tritonia talibus aures
carminaque Aonidum iustamque probauerat iram.
tum secum: 'laudare parum est; laudemur et ipsae,
numina nec sperni sine poena nostra sinamus.'
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes, 5
quam sibi lanificae non cedere laudibus artis
audierat. non illa loco nec origine gentis
clara, sed arte fuit. pater huic Colophonius Idmon
Phocaico bibulas tingebat murice lanas;
occiderat mater, sed et haec de plebe suoque 10
aequa uiro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
quaesierat studio nomen memorabile, quamuis
orta domo parua paruis habitabat Hypaepis.
huius ut aspicerent opus admirabile, saepe
deseruere sui nymphae dumeta Timoli, 15
deseruere suas nymphae Pactolides undas.
nec factas solum uestes, spectare iuuabat
tum quoque cum fierent; tantus decor adfuit arti!
siue rudem primos lanam glomerabat in orbes,
seu digitis subigebat opus repetitaque longo 20
uellera mollibat nebulas aequantia tractu,
siue leui teretem uersabat pollice fusum,
seu pingebat acu, scires a Pallade doctam.
Quod tamen ipsa negat tantaque offensa magistra
'certet' ait 'mecum; nihil est quod uicta recusem.' 25
Pallas anum simulat falsosque in tempora canos
addit et infirmos baculo quos sustinet artus.
tum sic orsa loqui: 'non omnia grandior aetas
quae fugiamus habet; seris uenit usus ab annis.
consilium ne sperne meum: tibi fama petatur 30
inter mortales faciendae maxima lanae.
cede deae ueniamque tuis, temeraria, dictis



supplice uoce roga; ueniam dabit illa roganti.’
aspicit hanc toruis inceptaque fila relinquit
uixque manum retinens confessaque uultibus iram 35
talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
‘mentis inops longaue uenis confecta senecta,
et nimium uixisse diu nocet. audiat istas,
si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, uoces.
consilii satis est in me mihi, neue monendo 40
profecisse putes, eadem est sententia nobis.
cur non ipsa uenit? cur haec certamina uitat?’
tum dea ‘uenit!’ ait formamque remouit anilem
Palladaque exhibuit. uenerantur numina nymphae
Mygdonidesque nurus, sola est non territa uirgo; 45
sed tamen erubuit, subitusque inuita notauit
ora rubor rursusque euanuit, ut solet aer
purpureus fieri, cum primum Aurora mouetur,
et breue post tempus candescere solis ab ortu.
perstat in incepto stolidaque cupidine palmae 50
in sua fata ruit; neque enim Ioue nata recusat
nec monet ulterius nec iam certamina differt.

Haud mora, constituunt diuersis partibus ambae
et gracili geminas intendunt stamine telas;
tela iugo uincta est, stamen secernit harundo, 55
inseritur medium radiis subtemen acutis,
quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
percusso pauunt insecti pectine dentes.
utraque festinant cinctaeque ad pectora uestes
bracchia docta mouent, studio fallente laborem. 60
illic et Tyrium quae purpura sensit aenum
textitur et tenues parui discriminis umbrae,
qualis ab imbre solet percussis solibus arcus
inficere ingenti longum curuamine caelum,
in quo diuersi niteant cum mille colores, 65
transitus ipse tamen spectantia lumina fallit,
usque adeo quod tangit idem est; tamen ultima distant.
illic et lentum filis immittitur aurum
et uetus in tela deducitur argumentum.

Cecropia Pallas scopulum Mauortis in arce 70
pingit et antiquam de terrae nomine litem.
bis sex caelestes medio Ioue sedibus altis
augusta grauitate sedent. sua quemque deorum



inscribit facies: Iouis est regalis imago;
stare deum pelagi longoque ferire tridente 75
aspera saxa facit medioque e uulnere saxi
exsiluisse fretum, quo pignore uindicet urbem;
at sibi dat clipeum, dat acutae cuspidis hastam,
dat galeam capiti, defenditur aegide pectus,
percussamque sua simulat de cusptide terram 80
edere cum bacis fetum canentis oliuae
mirarique deos; operis Victoria finis.
ut tamen exemplis intellegat aemula laudis
quod pretium speret pro tam furialibus ausis,
quattuor in partes certamina quattuor addit, 85
clara colore suo, breuibus distincta sigillis.
Threiciam Rhodopen habet angulus unus et Haemum,
nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,
nomina summorum sibi qui tribuere deorum.
altera Pygmaeae fatum miserabile matris 90
pars habet; hanc Iuno uictam certamine iussit
esse gruem populisque suis indicere bellum.
pinxit et Antigonem ausam contendere quondam
cum magni consorte Iouis, quam regia Iuno
in uolucrum uertit; nec profuit Ilion illi 95
Laomedonue pater, sumptis quin candida pennis
ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
qui superest solus, Cinyran habet angulus orbem,
isque gradus templi, natarum membra suarum,
amplectens saxoque iacens lacrimare uidetur. 100
circuit extremas oleis pacalibus oras
(is modus est) operisque sua facit arbore finem.
Maeonis elusam designat imagine tauri
Europen; uerum taurum, freta uera putares.
ipsa uidebatur terras spectare relictas 105
et comites clamare suas tactumque uereri
adsilientis aquae timidisque reducere plantas.
fecit et Asterien aquila luctante teneri,
fecit olorinis Ledam recubare sub alis;
addidit ut satyri celatus imagine pulchram 110
Iuppiter implevit gemino Nycteida fetu,
Amphitryon fuerit cum te, Tirynthia, cepit,
aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,
Mnemosynen pastor, uarius Deoida serpens.



te quoque mutatum toruo, Neptune, iuueno 115
uirgine in Aeolia posuit; tu uisus Enipeus
gignis Aloidas, aries Bisaltida fallis,
et te flaua comas frugum mitissima mater
sensit equum, sensit uolucrum crinita colubris
mater equi uolucris, sensit delphina Melantho. 120
omnibus his faciemque suam faciemque locorum
reddidit. est illic agrestis imagine Phoebus,
utque modo accipitris pennas, modo terga leonis
gesserit, ut pastor Macareida luserit Issen,
Liber ut Erigonen falsa deceperit uua, 125
ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
ultima pars telae, tenui circumdata limbo,
nexilibus flores hederis habet intertextos.

Non illud Pallas, non illud carpere Liuor
possit opus. doluit successu flaua uirago 130
et rupit pictas, caelestia crimina, uestes;
utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.
non tulit infelix laqueoque animosa ligauit
guttura; pendentem Pallas miserata leuauit 135
atque ita ‘uiue quidem, pende tamen, improba’ dixit,
‘lexque eadem poenae, ne sis segura futuri,
dicta tuo generi serisque nepotibus esto.’
post ea discedens sucis Hecateidos herbae
sparsit, et extemplo tristi medicamine tactae 140
defluxere comae, cum quis et naris et aures,
fitque caput minimum, toto quoque corpore parua est;
in latere exiles digiti pro cruribus haerent,
cetera uenter habet, de quo tamen illa remittit
stamen et antiquas exercet aranea telas. 145